



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Via Lactea Sive Institutiones Iuris Canonici

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Tit. XVI. De Divortiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94613](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94613)

sicut etiam deponere debent, se illud, quod dicunt à majoribus accepisse, & se credere ita esse. *§. Testium, hoc tit. cap. Licet, de Test. & cap. Litteris, de Praesumpt. & cap. Quoties, extr. de Test.* His autem concurrentibus, & impedimento probato, standum est huiusmodi probationi. *§. fin. hoc tit. c. Juravit, de Probat.*

TIT. XVI.

De Divortiis.

Quoniam ob causas, de quibus supra est actum, evenit saepe, ut sequatur divortium, ob id de divortio nunc tractatur. Circa quod videbimus:

1. Quid sit Divortium?
2. Ex quibus causis fiat?
3. Quando?
4. Quot modis Uxor repetatur?
5. Qui sint effectus?

Quò ad Primum, Divortium est dissolutio Matrimonii, quæ utroque vivente conjugum contingit. *c. Divortium, de Penit. d. 1.* Vel est simplex separatio thori. *c. Intervento, 32. quæst. 7. & per Abb. in Rubr. eod.* Et dicitur divortium vel à *divertendo*, quoniam qui separantur in diversas partes vadunt, vel à *diversitate mentium*. *l. 1. ff. de Divortiis. l. Inter divortium, ff. de Verb. signifi.*

Quò ad Secundum, Illud sciendum est, quòd regulariter legitimum Matrimonium contractum dissolvi non potest. *§. 2. hoc tit. c. Quos Deus, 33. q. 2. & l. Eius, & l. Nihil, ff. de Reg. Jur.* Tamen interdum ex causa fit Divortium.

Primo: Ingressiendi Religionem non sequuta copula, ita ut liceat ei, qui in seculo remansit, alii se conjugere. *§. Si tamen, hoc tit. c. Ex parte 1. de Convers. conjug. cum simill.* Et postquam alter conjugum Religionem est ingressus, si postea alleget se falsa causa deductum, religiosum habitum sumpsisse, non per hoc vitatur ipsa ingressio. *§. Nec causari, h. t. d. c. Ex parte.* Et dicenti se velle ingredi Monasterium, terminus præfigitur intra quem debet deliberare, vel ad conjugem redire, vel ad Monasterium se transferre. *§. Et autem, hoc tit. cap. Ex publico, de Convers. conjug.* Nota nihilominus, quòd etiam isto termino transacto, si copula non fuerit sequuta, licet ei Religionem ingredi, ita not. *in d. c. Ex publico.* Et iste terminus non solum datur ad ingrediendum, sed etiam ad profitendum; ut per Abb. *in d. c. Ex publico.* Alias enim non esset sufficienter provisum alteri Sponso, cum non posset ad secundas nuptias transire, nisi altero proficiente. Ratio autem, quare non sequuta copula per ingressum Religionis Matrimonium dissolvitur, ea est, quia cum nondum una caro effecti sint, satis probabiliter uno ad Deum transeunte, alter in seculo remanere poterit. *§. Neque minus, hoc tit. c. Ex publico, de Convers. conjug.* Diversum tamen statuitur in eo, qui post contractum Matrimonium Ordines suscepit, quia etiam Matrimonium non consummato non permittitur Divortium; sed iste sic ordinatus per censuram Ecclesiasticam cogendus est, ut Matrimonium consummat. *§. Diversum, hoc tit.* Et est casus in *Extravag. Joann. 22. antiqua.* Ubi etiam de hoc sunt Glossæ pulcherrimæ. Verum etiam in hoc casu character imprimitur, quamvis impediatur Ordinis executio, ut *in d. Extravag. Qui casus videtur mirabilis, nam Sacerdos etiam*

apud Latinos potest habere uxorem, quod etiam procederet in eo casu, quando Matrimonium est consummatum, quia etiam eo casu imprimeretur character; ut not. Innoc. & Abb. *in cap. placet, de Convers. conjug. & in c. 2. eod.* Verum circa infideles diversum statuitur: etenim si alter, qui in infidelitate permanet, velit à fidei disjungi, vel cum eo commorari cum contumelia Creatoris, tunc licebit Christiano cum alio se conjugere. *§. Sed etsi inter, hoc tit. cap. Quanto, & c. Gaudemus, de Divort.*

Alia causa est impotentia coeundi. *§. Item si quis ignarus, hoc tit.* Ubi si quis ignoranter cum impotente contraxerit, Matrimonium separatur, & qui est potens poterit cum alio contrahere. Impotentia tamen debet esse talis, quæ ope medicorum tolli non possit, nisi cum mortis periculo. *c. Fraternitatis, de Frigid. & malefic. & not. in cap. Ex litteris, eod.* Modicam autem vexationem, & molestiam debent conjuges substinere, ut Matrimonium fortiaur effectum, ut habetur *in distictis locis.* Quod si quis putatus fuerit impotens, & post separationem aliam cognoverit; Aut ea, quæ arcta putabatur, aliquem invenerit, qui sibi seras reseraret, utroque casu post peractam poenitentiam, ad prima conjugia reddere compellendi sunt. *§. Si quis, hoc tit. d. cap. Fraternitatis, de Frigid. & malefic.* Quod intellige quando esset primo cognoscibilis, nam si primus esset adeò mentulofus, & instrumentum genitale haberet ita crafsum, quod nunquam posset deflorare mulierem sine periculo mortis, secundus ob suam gracilitatem posset eam cognoscere, tunc non esset restituenda primo, licet per frequentem usum cum secundo habitum, sit apta reddita. Abbas *in d. c. Fraternitatis*, ubi de hac materia, & *in c. Quod sedem, & in d. cap. Ex litteris, eod.* Ratio autem, quare compellendi sunt ad Matrimonium, ea redditur, quia cognita ab uno censetur cognoscibilis ab altero. *DD. in d. c. Fraternitatis.* Quod si quis scienter impotentem duxit, vel retinuit, eam habebit nisi ut uxorem, saltem & sororem. *§. Plane hoc tit. cap. Omnino, 31. d.* Porro de hac conjugum impotentia omnino videas meas Decisiones de *Matrimon. Decis. 32.* in quaplenè de ea differitur; & Juribus ac exemplis declaratur: & ostenditur, decem esse personas, quæ possunt hoc affici impedimento.

Item per carnalem, vel spiritualement fornicationem fit separatio thori tantum, *§. Sapius hoc tit.* Ratio est, quia vinculum conjugii semel contractum, & habitum, nunquam amittitur viventibus conjugibus. *cap. 2. & 3. 32. quæst. 2.* Verum hæc est differentia inter fornicationem carnalem, & spiritualement; namque per fornicationem carnalem, distracto Matrimonio, si sequatur emendatio, non coguntur conjuges se reassumere. Secus per Spiritualement. Namque si infidelis respiscat, alter tenetur eum recipere, nisi velit Monasterium ingredi. *§. Multum, hoc tit. d. cap. Quanto, & cap. Gaudemus, de Divortiis.* De aliis differentiis inter carnalem, & spiritualement fornicationem, vide Anton. de Rub. *in cap. Fin. de Conjug. convers. facit cap. Proposito; & quod ibi not. 27. quæst. 1.* Præter istos casus alter conjugum, altero in seculo permanente, nec ad Sacros Ordines, nec ad Regularem suscipiendus est observantiam, nisi remanens ejus sit ætatis, ut sine suspitione incontinentiæ possit in seculo permanere, aut verè continentiam amplam vovere voluerit;

rit; alioquin etiam si de Uxoris licentia quis Religionem sit ingressus, & professionem fecerit, uxor non poterit ad continentiam cogi; sed vir ad uxoris thorum evocari poterit, nisi uxor postea fornicata fuerit, vel se invicem continentiam promittendo abolverint. *§. His exceptis, cum concord.* Verum quia hæc materia est admodum intricata, nolui ejus tractationem huc inferere: sed de ea latè videas per Abb. in cap. 1. de *Convers. Conjug.* & in cap. Tua nos. 2. de *Jurejur.* Et in meis Decisionib. de Matrim. Decis. 39. in qua copiose disputatur de omnibus causis separationis conjugum.

Quid verò dicendum est de eo, qui invita uxore ingressus est Monasterium, qui postea ad eam redire est coactus, an ea mortua cogendus sit ad Monasterium reverti, an verò possit aliam Uxorem ducere? Et respondetur nec cogendum esse ad Monasterium reverti, nec posse aliam habere Uxorem. *§. Quasitum, hoc tit. cum simill.* Quod si Uxore non contradicente quis ingreditur Monasterium, ea mortua non potest exire. *§. Quod si quis, hoc tit.* Et si Matrimonium de facto contraxerit, illud dirimitur. *ut ibi. c. Consultuit. de Convers. Conjug. c. Ex parte. 1. de Convers. Conjug.* Quod multo magis debet habere locum in eo, qui consentiente Uxore professus fuerit. *§. Quod in eo, hoc tit.* Item & in ea, quæ continentiam vovit, si tamen fuerit certiorata de Juris communis dispositione, secundum Abb. in d. cap. 1. de *Convers. Conjug.* & notatur in d. cap. *Ex parte. 1.* ubi etiam Abb. Quod si Mulier credens Maritum esse mortuum, Religionem professâ sit, si eo reverso de Monasterioeducta sit, eo postea verè mortuo, non potest cogi de novo in Monasterium ingredi. *§. Quid statuemus, hoc tit. facit cap. Placet. de Convers. Conjug.* unde ex jam dictis colligitur, quod conjugibus non permittitur Religionis votum assumere altero invito, quod secus est in voto peregrinationis. *§. Licet autem, hoc tit. c. Ex multa. §. In tanta. extr. de Vot. & Vot. redempt.* Quod etiam hodie procedit, & si in hoc casu mulier dubitet de morte viri, tamen non potest contrahere, nisi sit de hoc certiorata, vel saltem credat eum verè apud se mortuum esse. *§. Et quamvis, hoc tit. concord. cap. In presentia, de Sponsalibus. & cap. Dominus. de secundis nuptiis.* Secus tamen est in Sponsalibus. *cap. De illis, de Sponsal.*

Quod ad Tertium. Divortium fit tunc demum, si causa fuerit probata, non ante, etsi fuerit sententia sequuta. *§. Sed & separatio, hoc tit. & Modestin. in l. Transacta. ff. de Verb. signif.* Semper enim in dubio pro Matrimonio respondendum est; nec debet de facili conjugibus credi. *c. Consanguinei. extr. de Sent. & re judic.*

Quod ad Quartum. Duobus modis agitur, vel Petitorio. vel Possessorio. *§. 1. hoc tit.* Sed si petitorio agatur, & aliqua exceptio legitima, ut puta consanguinitatis, proposita fuerit, prius cognoscendum est de exceptione tanquam peremptoria. *c. 1. & ibi dicitur de Ordin. Cogn.* Sin autem possessorio Judicio agatur, antequam discutatur de consanguinitate, plenaria erit facienda restitutio. *cap. Ex consang. de Restitut. spoliat.* Nisi is, qui convenitur, & de calumnia juret, & super exceptiones habeat promptas probationes; nam hoc casu excepta carnali copula, ad cetera fit restitutio. *d. §. Ergo. cap. Litteras, de Restit. spoliat.* Verum tamen est, quod hoc casu si mulier

restituenda timeat sævitiam Viri, debet ab eo cautio præstari, quam si ipse non præstet, dum causa plenè cognoscitur, uxor deponitur in loco honesto, & tuto. *§. Præstanda, hoc tit. facit, d. c. Litteras, & c. Ex transmissa, eod. de Restit. spoliat.* Quod habet locum etiam si Uxor culpa sua recesserit a Marito, ut quia publicè sit adulterata, ut per Abb. in d. c. *Litteras, c. Significasti, de Divortiiis.* Et hæc omnia procedunt, tunc demum si Matrimonium sit sequutum, & per copulam consummatum, ut notat. in d. c. *Ex transmissa.* Ceterum si nullis præcedentibus Sponsalibus, vel nullo præcedente legitimo consensu mulier fuerit ad Viri domum transducta, si postea abcesserit, nulla facienda erit restitutio, sed poterit alii nubere. *§. Et hæc, hoc tit.* Et ratio est, quia petens restitutionem debet probare possessionem, *cap. Consultationibus, de Jur. Patron. c. Olim. de Restit. spoliat.* Sed ista tractatio non operatur aliquam possessionem, *c. Ex parte, ubi late, de Restit. spoliat.* Et colligitur, quod si is, qui vult repetere suam Uxorem, fornicationem commiserit, non potest hoc facere. *§. Fornicationis, hoc tit.* Quinimodò ob eam causam sequuta separatione, si vivente adhuc separata Vir aliam hujus rei consciam duxerit, etiam si ex ea filios habuerit, non valet hujusmodi Matrimonium, sed etiam si mortua sit adultera, sunt nihilominus separandi, *c. 1. cap. Veniens, & cap. Ex litterarum, extr. de eo, qui duxit in Matrim. quam per adult. poll.* Quod ampliatur etiam si prima carnaliter non fuisset cognita, *cap. 2. extr. de eo, qui duxit in Matrim. quam, & c.* Unde si ista Mulier ignoret istum virum conjugatum, secus est, quia si velit, potest eum retinere post mortem primæ. *§. hoc tamen, h. 1. d. c. 1. c. 2. de Adult.*

Ex quibus Juribus collige hoc notabile. Quod est in arbitrio mulieris hoc casu petere divortium; ad petitionem tamen viri non sunt separandi, *d. §. Hoc tamen, d. c. Veniens.* Et hoc adeò verum est, ut etiam filii de tali Matrimonio nati legitimi dicantur, *cap. Ex tenore, & c. Cum inter. Qui filii sint legit.* Et hoc propter bonam mulieris fidem. Unde illud etiam percipitur, quod si quis aliquam cognoverit non sub specie Matrimonii, defuncta Uxore, potest cum ea Matrimonium contrahere, dummodò neuter ipsorum machinatus sit mortem Uxoris prædefunctæ, nec fidem de contrahendo sibi invicem dederint, *§. Cum ea, hoc tit. concord. c. Significasti, & cap. Super eo, de eo, qui dixit, & c.* Et quod hic dicitur de machinatione intelligatur cum effectu, scilicet sequuta morte; & de hoc vide Gloss. in *§. Prædefuncta, in verb. Machinari.* Quod si fidem sibi invicem dederint, non tamen sequuta fuerit copula nec ante, nec post, legitima conjuge superstiti, tunc si Matrimonium postea contrahatur, valet, nec dissolvitur per aliam præcedentem copulam. *§. Sed etsi, h. 1. c. fin. de Sponsal.* Et quod si, qui machinati sunt mortem contra uxorem defunctam, vel contra maritum defunctum, non possint inter se contrahere, hoc adeò verum est, ut etiam si inde aliquod sequatur bonum, tamen impeditur Matrimonium; unde si infidelis cum Christiana communicato consilio, ejusdem Christianæ maritum de medio sustulerit, non tamen cum ea justas nuptias potest contrahere. *§. Usque, h. 1. facit c. Quod ait, & quod ibi notatur dist. 14. cum simill.* Ratio ea est, quia non committitur delictum propter bonum spirituale, quod inde sequitur;

quitur, *cap. Cum magno. Ne Cler. vel Mon. cap. Si dicat. 33. q. 5.* Quare colligas, quod si desit animus, & propositum secus est. *§. Diversa, h. r. cum simill.* Et e contra si adsit animus, licet non sequatur effectus, iste animus punitur: & per hoc si infidiatur alteri coniugi, & supervixerit is, ad secundas nuptias nunquam poterit convolare, quod procedit etiam in incestuosus, *cap. 1. & per tot. de Eo, qui cogn. consang.* Verumtamen si isti contrahant, valet Matrimonium, *cap. Transmissa, d. 1.* Hoc idem in Interfectores Sacerdotum, qui nunquam possunt contrahere Matrimonium, *cap. 2. de Penit.* Et hæc est decisio. *§. Sedenti machinationem, hoc tit.* Sunt & alii casus similes, qui not. in *d. c. 2. de Penit.* & explicantur in dictis meis Decisionibus de *Matrim. Decis. 25.* in qua de criminibus dirimentibus Matrimonium exacte tractatur.

Pro corollario nota: Quod de Jure Canonico absque timore infamiae, si nulla alia causa impediatur, licitum est transire ad secundas nuptias intra annum luctus, contra Leges Civiles in *l. Confessio, §. Si vero, c. de Repud. l. Liberos, §. 1. ff. de his, qui not. infam.* Et hoc deciditur in *§. Illud, hoc tit. cap. penult. & fin. de Secund. Nupt.* Qui rex, secundum Joannem Andream, & Abbatem in *d. cap. fin.* corrigunt omnes Leges Civiles, quæ ex aliqua causa impediunt Matrimonium, ut est titulus *Cod. de Prohibit. Matrim. in pupill. &c. & c. Si Rector Provincia: & de hoc vide Gloss. hic in Verb. abolita.*

In fine nota, quod his, qui transit ad Bigamiam, non debet à Presbytero benedicere, quod procedit etiam si consuetudo loci sit in contrarium; ut per Gloss. in *Verbo iterari.*

Quod ad Ultimum. Divortii effectus potest esse simplex separatio thori, ut scilicet ambo conjuges possint vivere sine peccato. Alter est effectus, quod illud Matrimonium, quod de facto processit, cum consistere de Jure non possit, nullum reddatur, & conjuges solutos pronunciet. Ita not. in *Rubr. extr. eod.* Alius effectus est, quod si Matrimonium separatur propter unam ex illis causis, quæ perpetuo impediunt, conjuges possunt ad nova conjugia transire; ut in supradictis colligitur.

TIT. XVII.

De Rebus Sanctis, Sacris, & Religiosis.

IN principio hujus secundi Libri in Titulo de *Rerum divisione* diximus inter res spirituales, quæ corporales existunt, connumerari Sacramenta, Res Sacras, Sanctas, & Religiosas. Hucusque egimus de Sacramentis, nunc differendum est de *Rebus Sanctis, Sacris, & Religiosis.* Et pro hujus tituli expeditione videbimus:

1. Quæ dicantur Res Sanctæ?
2. Quæ Sacra?
3. Quæ Religiosa?
4. Quibus sufficiantur hæc omnes Res?

Quod ad Primum. Res Sanctæ secundum proprietatem verborum à Juris Civilis dispositione dicantur illæ, quæ immunes esse debent à quacunque hominum facultate, & quocunque commercio, ob poenam sanctionis contra violantes. *§. Sancta, Instit. de Rerum divis.*

Quod ad Secundum: Res illæ Sacrae appellantur, quæ sunt ad divinum cultum rite consecratae, & Altissimo per habentem auctoritatem di-

catæ: *§. Sacra, Instit. de rer. divis.* Cujusmodi sunt Ecclesiae, Altaria, Calices, & hujusmodi alia. Verum quamvis ista verba inspecta origine inter se valde diversa sint, nihilominus sapissime aliud pro alio sumitur, ut in locis allegatis, & allegandis.

Quod ad Tertium. Per idem Jus antiquum Res Religiosæ illæ dicebantur, quæ humana corpora continebant, dictæ Religiosæ à relegando, vel relinquendo. *§. Religiosum, Instit. de Rer. divis.* Hodie verò res Religiosæ possunt dici illæ, quæ ad pios cultus, ad pias causas destinatae videntur, & personis religiosis inserviunt, ut sunt Domus religiosæ, Xenodochia, Coemeteria, & Sepulturae, Orphanotopia, & alia hujusmodi, *c. 1. cap. 2. extr. de Relig. Domib.*

Quod ad Postremum. Omnia bona ista sunt ejus naturæ, ut in nullius bonis existant. *§. Nullius, Instit. de Rerum divis.* Et hinc est, quod alienari non possunt, nisi quibusdam adhibitis solemnitatibus, cum causæ cognitione: scilicet ut Prælatus Superior expendat, num alienatio expediat Ecclesiae, nec ne? Deinde Decretum Prælati; tertio consensum totius Cleri, seu Capituli, *c. Tuum. 12. qu. 2. Abb. in cap. Statuimus, de Transact.* & quando Sacrae esse desierint. Attamen quod ad administrationem subijciuntur potestati, & regimini Ecclesiasticarum personarum, & præcipue subijciuntur Summi Pontificis administrationi, in regione cujusque loci. *cap. 1. 2. & 3. extr. de Relig. Domib.*

TIT. XVIII.

De Construendis, Consecrandis, & Reparandis Ecclesiis, vel Altaribus.

CUM inter ea, quæ Sacra existunt, Ecclesiae, vel Altaria primum sibi vindicent locum, idcirco de his nunc differitur; & pro tituli enucleatione videbimus:

1. Quid Ecclesia nomen hic significet?
2. Quid nomine Altaris contineatur?
3. Quid sit Ecclesiam construere?
4. Quid reficere?
5. Qui possint Ecclesias construere, reficere, vel consecrare?
6. Ex quibus causis Ecclesia constitui possint?
7. Quæ sint servanda in Ecclesiis construendis?
8. Quo tempore Ecclesia sint consecranda, & quod Altaria?
9. Quibus ex causis non sit consecranda Ecclesia?

Quod ad Primum: Ecclesiae nomen æquivocum est, ut hic in princ. & per Gloss. hic in *Verb. Templum Dei.* Accipitur enim pro Christianorum multitudine, fideliumque congregatione: sed in nostro Titulo Ecclesiae nomen præfert locum, in quo Sacrificia celebrantur, & sacra Deo peraguntur. *rex. est hic in princ. & in c. Ecclesia, de Consecr. d. 1.*

Quod ad Secundum. Altaris nomine significatur locus ille in Ecclesia eminentior, in quo Altissimo Sacrificia offeruntur, & sacra peraguntur. Ita notatur in *Rubr. extr. eod. de Consecr. Ecclesia, vel Altaris.*

Quod ad Tertium. Ecclesiam construere nihil aliud est, quam Templum à fundamentis erigere, quod ante non fuit, *c. 2. extr. de Eccl. adific.*

Quod ad Quartum. Reficere Ecclesiam nihil est aliud, nisi Ecclesiam collapsam ad pristinum statum restituere, vel collabentem emendare, *c. 1. de Eccl. adifican.* & notatur in *Rubr. ejusd. Tit.*